

*Qui verbum meum audit et credit,
transiit a morte in vitam.*

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Ioánnem

5, 24-29

In illo témpore: Respóndit Iesus Iudáeis:

²⁴ «**A**men, amen dico vobis:
Qui verbum meum audit
et credit ei, qui misit me,
habet vitam ætérnam
et in iudícium non venit,
sed tránsiit a morte in vitam.

²⁵ Amen, amen dico vobis:
Venit hora, et nunc est,
quando mórtui áudient vocem Fílii Dei
et, qui audierint, vivent.

²⁶ Sicut enim Pater habet vitam in semetípso,
sic dedit et Fílio vitam habére in semetípso;
²⁷ et potestátem dedit ei iudícium fácere,
quia Fílius hóminis est.

²⁸ Nolíte mirári hoc,
quia venit hora,
in qua omnes, qui in monuméntis sunt,
áudient vocem eius

²⁹ et procédent, qui bona fecérunt,
in resurrectiónem vitæ,
qui vero mala egérunt,
in resurrectiónem iudícii».

Verbum Dómini.